



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eo qui sub obtentu religionis sine iussu episcopi sui vel presbyteri  
ieiunium sibi imponit. xxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Vt ieiunium absque cibo luxuriæ obseruari debeat.*

Caput XXII.

**N**on dico hebdomadas, non dico duplicata ieiunia, sed *Ex dictis Hierony.*  
 (saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus.

*Vt quotidianum ieiunium non sit sine refectioe aliqua*

Cap. XXIII.

**S**int tibi quotidiana ieiunia, & refectio facietatem fugiens. Nihil enim prodest tibi biduo triduoq; transmissio vacuum portare ventrem si pariter obruatur. Si compensatur saturitate ieiunia, ilico mens repleta torpescit: & irrigata terra corporis huius, spinas & carduum germinat.

De eodem Cap. XXIII.

**S**int tibi ieiunia pura, continua, moderaque, id est, quotidie esurire, & quotidie prandere. *Itē idem*

*Quod ieiunium curat vulnera delinquentis.*

Caput XXV.

**N**oli adhuc aquam bibere, sed modico utere vino propter infirmitates tuas: curat enim vulnera delinquentis, curatosque sanctificat ieiunium. *Apstol<sup>o</sup> dicit.*

*De quodam Alcibiade qui sibi graue iugum ieiunii imposuerat.*

Cap. XXVI.

**A**lcibiades quidam erat ex numero eorum qui pro Christo vinciti tenebantur. Hic vitam satis arduam & austeram gerebat, nihil cibi volens accipere, sed tantum pane, & sale cum aqua utebatur. Cum vitæ hunc rigorem vellet etiam in carcere positus obtinere, Attalo cuidam seruo Dei reuelatum est: quia non rectè faceret Alcibiades creaturis Dei, & vellet aliis formam scandali derelinquere. Quibus cognitis Alcibiades coepit omnia cum gratiarum actione percipere: quia quæ illi reuelabat spiritus ut doceret, huic ut sequeretur idem spiritus persuadebat. *Eusebi. in ecclesiast. historia.*

*De eo qui sub obtentu religionis sine iussu episcopi sui, vel presbyteri ieiunium sibi imponit.*

Cap. XXVII

**V**t nemo nisi consentiente proprio episcopo, aut eius misso, ieiunium sub obtentu religionis sibi imponat, vnum diem præ aliis excipiendo, omnimodo interdiciamus, quod & factum displicet, & in futurum fieri prohibemus: quia plus causa ariolandi esse dinoscitur, quam supplementum catholicæ legis. *Ex cõcil. apud Erphesfurt habito, presente Henrico reg. ca. 5.*